B. N. C
FIRENZE
1045
24



1045. 24

A 1

Traſymenus

EPITHALAMIVM

In Nuptias Illuſtriſs.rum & Excellentiſs.rum

FVLVII CORNEI, et LEONORAE

MENDOZZAE Marchionum.

Claudij Contuij Academici Inſenſati Peruſini.



PERVSIAE.

Ex Typographia Auguſta. 1610.

Superiorum Permiſſu.

1872

1045·24

Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo

FVLVIO CORNEO
MARCHIONI.

Claudius Contulus, S. P.

MItto ad te, Fului Princeps, Traſymenum, Nuptiarum tuarum Vatem. meum, an tuum? tuum potius. nam amor in me tuus iubendo illum genuit; obſeruantia in te mea parendo peperit. Vtinam, Traſymenus hic fictus Deus, inamoenus quidem, ſed cordatus Augur, quæ tibi nunc, auſpicando, ex animo canit: ea, verus Deorum Deus, tibi, Leonoræ vxori Principi, poſteriſque tuis, ex voto, fauſto et fælici exitu concludat. Vale *et me ampliſsimæ familiæ tuæ veterem clientem foue. Peruſiæ* VIII. Kal. *Aprilis. CIↃ IↃ C X.*

Excipiens, Frigus fugientem Piſcis aquoſi
Dorſo Aries Phœbum lanata pelle fouēdū,
Fæcūdaſque Deo ſpargēs de vellere gēmas,
Flore maritabat naſcentem prodigus annū.
Humida cum Senior Traſymenus ſtagna reliquit
Ima lacus, niueo velatus pectus amictu,
Roranteſque comas, viridi circundatus alga:
Exploraturus tacitis quæ ſenſerat vndis,
Vera ne, ſint Procerum Connubia ſacra duorum:
Sub CORNV Armifera prudens veſtigia preſſit.
Qua ſuper impendens Turris ferit ardua nubes,
CORNEA quam Proles ſpolijs onerauit, & armis:
CORNEA ſtirpe Ducum, qua non fæcundior vlla.
Stat coniuncta ſimul, Gens omnis lubrica circum,
Diuini factura ſenis mandata: ſedile
Pars ſtruit herboſum; fruſtra pars ſedula lino
Membra ſtudet ſiccare lacum ſudantia viuum.
Exercet feſtiua choros pars altera lætos;
Et nunc ſe mergit, nunc imis tollitur vndis.
Conuenere etiam Satyri, Faunique propinquis
Montibus, vt Numen ſpectent, Nymphæque puellæ,
Quæ Clanim, Cainamque bibunt, Fluuiūque Quiritum
Sanguine iam miſtum, Fluuium de ſanguine dictum.
Quiſque tulit ſecum longæuo munera Patri:

Floribus inſertis calathos, & lacte coactos,
Et quos lanigeros dat fructus Phyllidis Arbos.
Ille autem medius muſcoſa ſede verendus,
Multa reluctanti tacitus cum mente reuoluens,
Atq; animi dubius, curarum fluctuat æſtu.
Cum procul auditur vento confuſus, & vndis
Feſtinus per inane labor, ſtrepituſque ſonantum
Alarum: ingnoti autores: niſi Numina faſſi
Inſoliti Piſces flammas ſentire nocentes,
Terga foco, medicis vndis, afflata dediſſent.
Sunt ambo pueri, peperit Dea Mater vtrumque
Alma Venus: fæcundus Hymen, blanduſque Cupido:
Huic AEthnam Pharetra incluſam vomit: æmulus alter
Mitior at, dextram faculis ardentibus armat.
Nudus vterque genu', candenti in veſte decorus,
Cui ludunt crocei per lactea colla capilli,
Cui variæ ſplendent alæ poſt terga nitentes.
Non ſecus, ac tergum blandę ſolet eſſe columbæ,
Cum trahit innumeros aduerſo Sole colores.
Miratur, ſtupiduſque manet Traſymenus; & inde
Quò celerent plumas, pueros petit anxius ore.
Qui labor hic tantus? quæ mentem cura fatigat
Improbuli? an Matrem fugitiui linquitis ægram,
Vt miſera errando cogatur quærere natos?
Et forſan non digna pati? ſeque offerat vltro
Venalem, occulti ſibi dum reddantur Amores?
Sed frons læta nimis, non hæc infanda minatur.
Gaudia quę fertis? vel quæ connubia, quæſo,

Sudat

Sudat vterque? Senem ne me cæletis amicum.
Riſit Amor, Fratriſque manum complexus eburnam;
O Pater, o Numen, nos huc conuenimus ambo,
Matre iubente, refert, peregrinus lætus vterque
Nuntius, vt flammas doctus lætere iugales,
Corda quibus Procerum ſuccendimus alma duorum.
Heroum Proles, Auguſtæ FVLVIVS Vrbis
Splendor, quo nimium Gens CORNEA læta ſuperbit
Principe; cuius Auos Cæſar decorauit, & auxit,
Romanoque Sacer fouit cum Patre Senatus:
Queis dedit æternos Virtus æterna triumphos:
Diues agris, armenta ſimul cui multa propinquis
Inſultant campis, cuius te Rura coronant:
Connubio pulcram LEONORAM iunxit honeſto.
Præclaro Procerum LEONORAM ſanguine ductam
Hiſpano, MENDOZZA Domus quam protulit alta,
Aſſueta Heroes ſemper producere magnos.
Cui pueri verrunt piſcantes æquora mille,
Humida cui ſiccant ad Solem retia mille,
AEquo vbi Parthenope Neptunum iure coërcet.
Quam gremio Charites LEONORAM aluere beato,
Quam docuit Syren, Venerem cui contulit omnem
Noſtra Parens. Quantum o ſuperat ſplendore puellas,
Quas diues pulcras, Sebetus diluit vndis!
Frons ſpecioſa nitet, ſunt aurea fila capilli,
Sunt duo vitales, ridentia lumina, Soles:
Alba liguſtra genæ, roſeo ſaturata colore:
Bella labella, Roſæ: Parium ſunt bracchia marmor;

Nix alpina manus : me denique pectus Amorem
Spirat, ſed ſpirat caſtum me pectus Amorem.
Hæc Amor. at Senior diuô ſic rettulit ore.
Clarum a ſtirpe Genus, claris natalibus ortum
Iunxit Honeſtus Hymen, tædis illuſtribus vna.
Hæc bona ſperaui, & fælix modo viſa dederunt
Augurium menti: nam dum mea cærula luſtro
Attentus, nuper vicini littoris oram
Radens, à læua, ſcopuli de vertice duri,
Inſonuit nimium gratus mihi gutture Turtur,
Qui ſtantem ſociam inuitans, quaſi dicere viſus;
Dulcis Hymen, Hymenæe, Hymen, Hymeneæe venito.
Quin etiam ſiluaſque procul, colleſque notaui,
Vndique feſtiuas iactare ad ſydera voces.
At tu, qui ſolitus tædas nutrire maritas,
Pectora qui nexu ſtabili coniungis amantum,
Quique tuo graui das reddis libamine noctes;
Incipe, ſanctus Hymen, manſuro hæc tollere verſu
Vincula præſtantum Heroum: te præter, honores,
Deliciaſque tuas, rixas, grataſque repulſas,
Non eſt qui melius poſsit laudare canendo.
Incipe, nam facili ſemper tibi carmina curſu
Funduntur, fundiſque Fauos cum carmina fundis.
Incipe, num ſentis ſonus vt te inuitat aquarum?
Non hoc iſta, Pater, poſcit modo carmina tempus,
Subdit Hymen; vrgent nimium præcepta Parentis,
Quæ abſentes Nuptis nimium damnabit alumnos.
Atque equidem cupio noſtros celebrare Hymenęos
Ocia

Ocia ſi quando nobis meliora dabuntur.
Nunc decet ad ſponſos celeres conuertere pennas.
Hæc ridens, vultuque nitens effatus: vterque
Ocyor & nimbis, & fulminis ocyor alis
Remigia alarum, Zephyris animata ſecundis
Explicat, in thalamos ſe libraturus amatos.
Aduocat ex templo cælatam gurgite plebem,
Cunctantique Deus pænas minitatur acerbas.
Illa caput ſummis ſpeculatrix fluctibus altum
Tollere vix audet, flammas experta priores.
Attamen imperio parens, quando omnia tuta
Vidit; certatim iuſsis elabitur vndis.
Connubiumque ſacrum, pompaſque ex ordine docta,
Principis & reditum, liquidis baccantia campis
Ingeminat feſtiua modis certamina miris.
Et cauda exiliens Traſymenum ad ſydera tollit:
Non aliter lætata phalanx, poſt prælia Regem
Victorem circumſtat Apum numeroſa; ſuoq;
Agglomerata Duci, nitidis circumſtrepit alis,
Et caſtra, & cælum victrici murmure complet.
Piſcibus aſt vbi parta quies, pax fluctibus orta:
Gaudia rore genas teſtanti ſparſit oborto
Grandæuus Pater; ác circum ter lumina torquens:
Incipit imbutus phœbæo Numine pectus
Has Diuus Diuo plenus diffundere voces.
Quæ ventura ſacræ ſpirant præſagia voces.
In ſtygios remeate lacus, iam cedite peſtes
Ira, Furor, Rabies, noſtris decedite ab oris

Exeat

Exeat Alecto furijs comitata nefandis,
Anguineas impexa comas, ODIIque rebellis
Terga catenatis manibus ludibria flagris
Verberet igniuomis, Cæli raptumque ſereno
Præcipitet flammis materna nocte vorandum.
Tu quoque quid ceſſas, monſtrum crudele Megera?
Corripe furtiuam, pacatis eripe campis,
INVIDIAM, ac retro diuulſis crinibus actæ
Inijce vincla gulæ, ſæuis innexa colubris.
Stringe reluctantem, Cocyto redde petenti:
Tartareis vt viuat non moritura ſepulcris.
Ocia iam redeant, redeant Virtutis amores,
Alba Fides, niuei Mores, Concordia læta,
Pax ſemper dilecta probis: licet omne pererret,
Amoto paſtore pecus; nec claudere cuſtos
Sedibus errantes ſtudeat præſepibus hædos,
Afferet inſidias nullas prædator ouili,
Vmbratura gregem ramis iam CORNVS amicis.
Belligeraſque comas renouat dum CORNVS auitas,
Victorique parant Lauri dum ſerta ſequaces;
FVLVIVS adnexus LEONORAE viuat in æuum,
Et gemini viuant coniuncti pectore in vno.
Sic ſcopulis muſcus, conchis ſic purpura viuit,
Sic Mergus iunctus crocitanti viuit amatæ.
Hinc Genus Heroum, Magnorum hinc alta parentum,
Progenies veniet, claro de ſemine ducta.
Acta nec adſpexit, nec talem ſerior ætas
Adſpiciet ſobolem (verum ſi Numina cernunt)

Quæ

Quæ iaculare feras, nitida certare paleſtra,
Flectere equos curſu, doctas ſeu Palladis artes,
Seu Martis melius queat exercere labores.
Illuſtres Animæ, natæ melioribus annis,
Tollere in immenſum certabunt Nomen Auorum;
Dum referent Matrem forma, dum pectore Patrem.
Ite leues Fauni, Satyri ſimul ite fugaces;
Sternite iter violis, manibus date lilia plenis,
Quo Decus Armorum, Nemorum quo Terror, anhelo
FVLVIVS ibit equo: ipſe dari hunc ſibi mādat honorem:
En montes, ſiluaſque ſuas, en rura reuiſit,
Illuſtri pompa, fælici Coniuge lætus.
Vos quoque quid ſtatis, ſilueſtria Numina, Nymphæ?
Accelerate gradum, caſtis occurrite tædis
Dum noua nupta venit: ducant Chariteſque, Leporeſque
Interea in gyrum choreas, Riſuſque, Iocique.
Carpite purpureos flores, viuoſque amaranthos,
Pallentes violas. Nec te, LEONORA, pudebit
Flore ſinus, crineſque tuos circundare odoro.
Cingula nam gemmis variata, monilia, inaurem,
(Aure, ſinuque ſtupente) genas nuptura pudicas,
Flammea (natiuo multum obluctante Pudore)
Coralium, Electrumque tibi, iam munera, ab imo
Veſtra Thetis quæſita mari, patriuſque tulerunt
Diues ab auriferis dimiſſus Iberus arenis.
Noſtra autem varios Nýmpharum ruſtica flores
Turba dabit, tenuis pauper turba incola ruris;
Vt tua connectas, pulcherrima NEPTVNINE,

Tempora,

Tempora, ſtelliferis mox innectenda coronis.
Donec Mergus aquas, littus dum puppis amabit,
In mea dum celeres labentur cærula riui,
AEterna noſtro reſonabunt littore laude,
Et MENDOZZA, tuũ Decus, & tua, Nomina, CORNVS.
Vos, Superi, interea thalamos ſeruate beatos
Amborum, & vitam longum producite in æuum,
Vt videant auctos digna ſe prole, Parentes,
Et viuant Nati, viuo cum Patre, triumphis.
Dixerat. intonuit læuum: micat ignibus æther,
Augurium firmante Deo, qui temperat orbem.
Inde ſui cupidus repetit penetralia regni,
Quem famula inſequitur promptis Gens vda lacertis.
Excipiunt Numen, diuiſi in mœnia fluctus,
Dulcia laturum ſquamoſæ gaudia Plebi.
AVGVR & in liquidas cedens euanuit vndas.

Finis.

1045.24
c

A 35 7 Z 83

1045 24

1045.24
Z

[illegible]

Digitized by Google